



EXERCITATIO PHILOLOGICA

DE

VOTO JEPHTÆO,

ex Jud. XI. v. 30. seqq.

Quam

Divini Numinis auspiciis

SUB PRÆSIDIO

Viri Præclarissimi

DN. M. HEINRICI Baumann/

Fac. Philos. Adjuncti meritissimi,

Domini, Fautoris ac Præceptoris sui ætatem
devenerandi,

*Publicæ placidæq; Eruditorum
ventilationi subjicit*

WITTEBERGÆ

In Acroaterio majori

ad diem XIV. Junii

Horis antemeridianis.

CHRISTIANUS MESSERSCHMIDIUS

Torgensis, Autor.



EX OFFICINA JOHANNIS HAKEN,
ANNO O. R., M. DC. LXV.



WOTI 9 JERTI BO
DAMHTI RIKI
CHRISTIANI
ANNO 1722





Q. D. B. V.

I.



DE Voto Jephthæ publicam in præ-
sens instituturi disquisitionem, magnâ ver-
borum ambage ac singulari præambulo, Je-
phthæ personam, ortum, pietatem, fortunam
& res gestas describere atque extollere, ope-
ræ redundantis esse arbitramur, cum eorum-
dem paraphrasin *cap. 11. & 12.* insignitè satis proponat ipse di-
vinus Historiæ Judicum Conditor. Quocirca ad scopum i-
psum potius nos accingemus, puta, ad ejusdem Votum, & pri-
mâ quidem vice *Vovendi ansam s. occasionem*, qualem nactus
fuerit Jephtha, cur tali sese obstrinxerit voto, videbimus: Dein
Voti ipsius qualitatem, sive ad quodnam genus sacrorum vincu-
lorum Judæorum referenda sit hæc Jephthæ promissio, exami-
nabimus: & demum, an *ex textu* evidenter probari possit, Je-
phtham verè immolasse filiam, angustè ante oculos ponemus. Va-
riæ enim de his se offerunt opiniones, quæ plurimos in diver-
sas rapiunt partes: nos tamen pro nostro, quem **D E U S** conces-
sit, ingenii modulo potiores Adversariorum expositiones bre-
viter ruminantes, statuemus ea, quæ veritati & Scripturæ magis
cōsentanea videbuntur. Quod ut eò faciliùs ac feliciùs ita pro-
cedat, **DEUM** ter Opt. Max. calidis veneramur suspiriis, ut co-
natibus nostris faveat, nec Sanctissimo suo Numine clementer
adesse nobis dedignetur.

II. Jephtha Galaadites Manassæus à fratribus è domo Pa-
tris expulsus, in terrâ Tob vitam egit, atque Israëlitis ita ad tē-
pus caruit; Sed cum adversis illi vexarentur tempestatibus &

▲ 2

Glü

filiis Ammon contra ipsos pugnarent acriter, Seniores Israëlitarum ad Jephtham, utpote cujus virtus jam totam regionem peragrarat, legati persuadent eidem, ut in patriam redire, & se militiae Ducem (*destituebantur enim tunc temporis tali Capite*) adversus Ammonitas præbere ne refragetur. Jephtha injuriæ quidem superioris memor, beneficio tamen pensare malebat maleficium, & cum de obtinendo principatu in omnes Galaaditas certus jam esset, libens cum iisdem perrexit tandem, & se ad debellandos Ammonitas Ducem s. Principem constitui facile passus est. Instanti ergo jam ipsam pugnâ, & prælio Israëlitis denunciato, Jephtha avidè reportaturus ab hostibus victoriam Deo adstringit se voto ejusmodi: *Si tradideris Ammonitas in manum meam, quicquid egredietur de foribus domus mee in occursum meum, quum revertar in pace à filiis Ammon* והיה עולתיהוה ויהיה עולה ליהוה & erit Domini, & offeram illud in holocaustum vers. 30. & 31.

III. Nuncupatio votorum Judæis haud insolens fuit, uti prostant exempla Gen. 28. 20. Num. 21. 2. Sed illa nondum accedunt ad hoc Jephthæ. Nos maximè dubitamus, an Jephtha tam prægnantes habuerit rationes, tamq; plausibilem ansam, quam immane vovit votum? Cappellus diatr. sing. de Vot. Jephth. n. 23. *Procul dubio, inquit, animi Jephthæ in voti illius nuncupatione motus fuit vehementissimus, & victoriæ, quam à Deo postulabat, desiderium flagrantissimum, indeq; factum, ut grave illi tunc temporis non fuerit rei cujuslibet sibi charissimæ jacturam facere, quo tantum Dei beneficium gratus agnosceret.* Alii aliter de hac ansâ & Jephthæ motu sentiunt. Verùm de illorum opinione & expiscando Voventis animo paullo infra audiemus plura, cum, prius examinatis votorum generibus, ad ipsum textum pervenerimus. Sufficiat qualemcunq; occasionem & rationes Jephthæ voti præprimis has dici posse; *partim* patriæ imminens periculum, & Galaaditarum supplices querelas, *partim* etiam morem votorum inter Judæos usitatum, atque animum juxta ipsius flagrantissimum & victoriæ cupidissimum. num autem devotio illa fuerit medium victoriæ antecedens, causale & impetrans, ex §. 13. patescet.

IV. Nunc

IV. Nunc dispiciamus Voti ipsius Conditionem, s. qualem fuerit votum Jephthæ, utrum retractabile an irtractabile, sive, an revocare potuisset Jephthæ, nec ne? Alias enim quatuor sacrorum vinculorum apud Judæos (quibus ultrò & sponte se Deo obstrinxerunt) recensentur genera, quæ ex Misnâ in Massecherh Nedarim, atque ex Commentariis R. Nisim, R. Ascher, & R. Salomonis Jarchi, in eum Misnâ tractatum, adducit *Lud. Capp. diatr. pecul. ad locum Matth. XV. s. nempe* 1. נדר quod dicitur gr. *ἑσθῆς Votum*, h. e. Sponsio facta Deo, pro obtinendo quopiam beneficio, cum firmitate aliquâ & obligatione ad illud, quod prius erat liberum agere. 2. חרם *anathema*, s. res internecioni, perditioni devota, consecrata, & quidem sine ullâ commiseratione. 3. נזיר *naziræatus*, i. e. devota separatio aut abstinencia ex religione, sanctimoniâ aut certo voto à rebus certis. 4. שבועה *juramentum*, s. *adjuratio*, cujus certæ ac singulares apud Judæos habebantur formulæ. At nos hîc nihil de duobus his postremis dicturi sumus, quia huc non ad eò quadrare videntur; sed examinabimus potius & trutinâ quasi expendemus priora duo genera, quæ magis huc faciunt, & videbimus, ad quodnam eorum propriè referendum sit hoc Votum Jephthæ.

V. Vox נדר duplici accipitur sensu. Sortitur enim nomen generis & indifferenter se tum habet ad נדר quod spectatum hîc dictum, & ad חרם atque reliqua duo genera. Requiritur autem (quod prius notatum volumus) ad votum in genere votendum i. ex parte ejus, cui voveretur, *acceptatio*, ut scilicet non aversetur, sed amiceè judicet, & sibi gratum agnoscat *Lev. 19. 5.* Principalis tamen & solus constrictio divinarum terminus relativus sit Deo *juxta Ps. 50. 14. & 76. 12.* si legitime vincetus esse aveas; non v. B. Franciscus, S. Christophorus, aut aliq. defunctorum Sanctorum primarius, quibus hocce dignitatis tribuunt insulsi Papistæ *vid. B. Dn. D. Bald. l. 2. c. 8. de Cas. Consc. tit. de Vot. cas. 4.* 2. ex parte Voventis (α) *deliberatio*, quæ est rationis, & hæc primùm decernit aliquid polliceri Deo (β) *propositum* quod est voluntatis, idque firmiter statuit vovere Deo (γ) *promissio* s. *sponsio*, quæ est utriusq; & rationis & voluntatis.

luntatis, eademque consummat tandem, i. e. fidem obstringit, hominemque Deo obligat. *Bald. d. l. in proem.* 3. ex parte rei, quæ vovetur, ut nostri juris sit illa, & in liberâ nostrâ potestate sita; non naturaliter necessaria & debita; nec impia & illicita; nec impossibilis; nec indifferens; nec levicula & inepta; nec periculosa: *Aut. loc. antè cit.* 4. ex parte finis (a) ut intendatur *Dei gloria.* (b) *felicitas proximi aut nostræ pietatis declaratio.* Alia, si quæ plura, præmittimus requisita: Ea obiter tantum præponderasse, & levi, quod dicitur, brachio hîc tetigisse luebit.

VI. Progredimur jam ad נדר quod speciatim ponitur hîc, & distinguitur illud iterum in duplex genus: Alterum scilicet est, quod vocant, נדר הקדש *votum rei sacræ*, quo aliquid Deo devovebatur & consecrabatur או לברקר הכות או למזבח *vel ad farta testa templi, vel ad Sacrificia sive oblationes*, quæ super Altare offerebantur. Illa, quæ hujusmodi voto Deo devota erant, cuilibet hominum erant illicita; nec aliena etiam oportebat consecrare, nisi, quæ nostri essent juris, in quod imperium & dominium haberemus. Alterum est, uti vocant נדר איסור *Votum interdicti*, quo quis videlicet interdicebatur usu rei cujuscunque, alioquin ex se licitæ, sed res tùm ea devota tantum illi, qui voto se tali obstrinxit, fuit illicita. Exemplis hæc multis illustrat Cappellus *loco thes. 4. citato.* Ultraque vocantur post *Votum simplex*, notante Misnâ *dicto in loco c. 1. §. 1.* Et Lex Mosâica de eo sancitur *Lev. 27. à vers. 1. ad 28.* Nèpe ea, quæ per hujusmodi Votum Deo sacrabantur, poterant secundum æstimationem Sacerdotis numerato pretio redimi.

VII. Alterum Voti genus, quod נדר anathema dicitur, *Votum salutaris compositum* s. conjunctum: Adducuntque triplices hîc etiam gradus: Primus & levisimus est נדר quo quis à Sacrorum Communione submovebatur fiebatq; נדרו-
והוא *Gen. 4. v. 12.* Gravior alter, quo facultatibus aut universis, aut earum maxima parte muldebatur, isque in specie dicebatur נדר *Esdr. 10. 8.* Tertius & ultimus, isque gravissimus Excommunicationis gradus Judæis dictus fuit נדר q. d. נדר מות *ibi mors*, secundum expositionem
nem

nem Rabb. quod non modo rei facultates sed & ipsa persona
 anathemate ferirentur à Synedrio magno, unde mors & inter-
 necio sequebatur *uti hac prolixius edocet Capp. in Spicil. ad Job. 9.*
22. p. 64. Conf. & Seldenus l. 4. de J. N. G. c. 7 seqq. Buxtorff. Lex.
Rabbinicum. p. 827. 1308. 2466. alii à Seldeno laudati l. c. qui per
 omnia hinc non conveniunt. Adhuc, quæ per tale Voti genus,
infit ille alleg. Autor porrò in diatr. sing. de Vot. Jeph. n. 5. Deo
 consecrabantur, ea non poterant redimi, uti videre est *ex seqq.*
vers. 28. & 29. Cap. cit. Lev. Verùm omne Cherem (verba sunt Le-
 gis) quod quis devoverit Domino, de omnibus illis, quæ sunt ipsi-
 sis **וְכֹהֵן וְכֹהֵן** ex hominibus & bestiis & agris possessionis
 sua **לֹא יִמָּכַר וְלֹא יִגָּאֵל** non vendetur neq; redimetur. Omne
 enim anathema est res sanctissima Domino. Omne cherem, quod
 devotum fuerit de homine (vel ex humanis personis) non redi-
 metur, sed omninò moriendo morietur.

IIX. At verò hujus Legis sensum malè oppidò accipit &
 intelligit Cappellus de Parentibus Liberos, Herisvè servos deo
 voventibus: cum certum sit, Deum nusquam probasse, multo-
 minus Lege suâ sancivisse, ut liberos anathemate devoverent
 parentes, Dominivè servos; Sed sanctio divina est talis: quoda-
 cunq; scilicet *sive de bestiis, sive de hominibus* (non iis, qui in pote-
 state patriâ aut dominicâ, sed præcipuè de hostibus l. gentili-
 bus populo Judaico infensis, quos DEUS in eorundem ma-
 nus ipsissimas tradidit) Deo in cherem voveatur, non posse ven-
 di, vel redimi, sed de Voto planè delendum esse. Absit ut tale jus
 vitæ & necis Parentibus & heris tribuamus, quod ipsis Cappel-
 lus largitur & lege illâ ipsis confirmatum putat. Quamvis e-
 nim accuratiores Politici jus vitæ & necis h. e. facultatem le-
 gitimam in facinorosos & ultima meritos ritè animadverten-
 di Parentibus & heris tribuant, ante constitutam Remp. Maje-
 statis vices sustinentibus: illa tamen assertio Cappello nequa-
 quam favet, qui licentiam morti devovendi liberos & servos,
 ut agros & pecudes §. 14. Parentibus & heris temerè ascribit;
 quàm variis etiam rationibus suam hanc opinionem suffulci-
 re nostramq; refutare allaboret. Ipse sibi non constat in Le-
 gis



gis explicatione, quod patebit conferenti n. 8. 9. & 13. Vid. præter Interpretes illius Legis Seldonus l. c. p. 519. seqq.

IX. Nos ratiociniis istius alterius spongiæ relictis, pro-rogamus ingenii aciem, & intimius pensitamus jam, ad quodnam horum amborum generum enim verò referamus Jephthæam devotionem? Sunt, qui in vivis filiam Polemarchi mansisse asserunt, perpetuæ sc. virginitati consecratam, iique ad נָרָה referunt s. votum simplex, & quidem ad נָרָה הַקָּרֵשׁ s. voti rei sacræ primam speciem *adsarta tecta templi*, ut adeò devota fuisset cultui sacro, & certo monasterio vel carceri inclusa perpetuo. Fovent hanc sententiam præprimis, & tuentur, *Judeorum nonnulli*, quos sequuntur tum *Lyræ. Perkins. Junius Münst. Tremell. Brent. Franz. uterq; Osiand. Chytraeus. Quistorp. Piscat. B. Glass. Grotius. Feselius l. 1. c. 8. Advers. & plurimi ex Calvinianis.* Addunt insuper hoc, quod ex Lege illa latâ *Lev. 27.* in commate 4. & 5. omninò filia redimi potuisset à Patre per siclos X. aut XXX. nisi mens filia & Parentis simul coaluissent postmodum, & utrique convenissent inter se, ut votum, quod factum fuerit Domino, redderetur & obsequiosâ mente consummaretur. Cæterùm ab roborandam ipsorum eò melius sententiam urgent ipsissima Historiæ verba נָרָה וְיִירָה *vovit votum*, volunt, eo ipso genus voti indigitari, Votum sc. fuisse simplex; Sed citra prægnantem rationem. Novimus n. nos *ex thes. 5. & נָרָה* usurpari quâ genericè, quâ specificè, quocirca à positione generis ad negationem alterius speciei minus rectè proceditur.

X. Alii textûs & verborum perspicuitate moti, statuunt quidem filiam è vivis surreptam, sed variant isti quoque inter se, nec omnibus eadem mens, idemq; est judicium. Nonnulli dicunt, mactatam quidem eam, non autem fuisse immolatâ, *quod Cappello placet n. 26. l. c.* Nonnulli ex adverso propugnât acriter, & mactatâ judicant & immolatam, h. e. super Altare (qualecûq; illud fuerit) in holocaustum fuisse oblatâ. Uterq; a. cætus referunt unanimiter ad votum cõpositum s. ad נָרָה anathema & quidem ad locum, de quo hætenus actum *Lev. 27. v. 28. 29.* Posteriori subscribimus sententiæ & nostrum addimus calculum,

61178

cum celeberr. Dn. D. Danb. disp. de vot. Jephth. §. 28. sed certo tamen restringendi modo ad vim istius Legis: non quasi ab hac nulla omnino concessa fuerit redemptio, & propterea Filia morte necessariò delenda sine ullà revocatione; sed Jephthæ factum, non jus divinum respiciendo: Votum n. illud Jephthæ fuit votum prorsus temerarium, incogitatum, illicitum, conceptum de materiâ illicitâ, ideoque inter vitia magni illius Viri primo ponendum loco, quippe, qui indiscriminatim vovit holocaustum, quicquid sibi primum è foribus domus suæ in occursum venturum sit, nec usquam cogitavit aut consultavit, anathematismum illum sibi optimo jure esse revocandum, & ex oppositis Legib. divinis, homicidium quodvis prohibentibus, irritum pronunciandum; quod ex sequentibus melius patebit, vid. B. Bald. loco sæpius citato, & Magnificus Dn. D. Calovius in Diss. antiGrot. in hunc locum, à quibus Patres & Authores, qui sententiæ nostræ patrocinium suscipiunt, eamque defensitant, satis multi ac pollentes ordine allegantur, Conf. & B. VValth. offic. Bibl. p. 934.

XI. Proinde cum usque adeò certi jam simus de genere Voti hujus constituto, s. quæ nobis equidem probabilior de memorato quæsito videatur sententia, nolumus cum longiori morâ aut nexu ipsimet immorari discursui, sed rectâ, quod dicitur, viâ provehimur nunc ad veram ipsius textûs analysin, sive verborum intelligentiam, quæ nos etiam genuinam rerum ipsarum notitiam edocebit luculentius, & sententiam de immolatâ Natâ firmioribus corroborabit fundamentis. Verum enim minus adeò necessum arbitramur, nec etiam contractio disputationis ex promisso admittet, ut singulas quasque voces ac particulas ad trutinam examinemus quasi, sed de legitimâ saltem quarundam phrasium ac particularum versione, quæ maximè ac primariò ad scopum nostrum facere videntur, pauca pro judicio dispiciemus.

XII. Primum negotium nobis facescit Vulg. Lat. Interpres, (cui Syrus, Arabs, aliiq; favent.) qui in v. 31. יהיה הווצאן malè oppidò reddidit in mascul. *Quicumq; primus egressus fuerit de foribus domus meæ, mibiq; occurrerit revertenti*

B

cum



cum pace à filiis Ammon, cum holocaustum offeram Domino. Cum
 tamen notum sit ex idiomate Hebraicæ linguæ, solere non tm-
 foeminina, sed & masculina pro Neutris (quod genus Hebræi
 expressum non habent) poni, *consul. B. Glass. l. 3. Phil. Sacr. tr. 1.
 can. 19. & Excell. Dn. Sennert. Gram. Hebr. l. 1. c. 5. membr. 3. annot. 1.*
 Alii etiam interpretes ferè omnes verterunt ita rectius in Neu-
 tro genere, ut *Trem. Jun. Ariæ Mont. Pisc. &c. & erit egrediens, quod
 egredietur &c.* ut verba Voti indefinitè & determinatè suman-
 tur, adeoq; includant, universaliter tum utriusque sexûs ho-
 minem, tum bestias quoque, quæ immolare voveri & conse-
 crari divinis usibus non licebat. — Sensum hinc adeò exstruimq;
 talem: *Quicquid egressum fuerit vel hoc vel illud vel istud; s. ob-
 jectum mutum seu etiam gratulatorium, quibus ambulare & in oc-
 cursum alicujus domo egredi integrum est, erit Domino & offeram
 in holocaustum.* Qui enim non excepit filiam unicam, non
 videtur distinxisse tum isto abreptus vovendi fervore animan-
 tia munda & immunda: & qui non peperit filia nec se absti-
 nuit à parricidio, ille à minori peccato, oblatione se. immun-
 di animalis cujusdam obvii vix abhorruisset: nisi fortè dicere
 velis faciliorem erroris deprehensionem fuisse, si canis vel ali-
 ud immundum animal ipsi obviam factum fuisset, quod immū-
 dorum immolationis prohibitionem non ita ignorare potue-
 rit Israëlita, ac filia: quam tum κακοζήλια Abrahæ filium im-
 molaturi, tum opinione nobilioris cultus & sacrificii (ἐφέλο-
 ῖθησκέιας matre) excæcatus immolarit. Cui Exceptioni si lo-
 cus relinqueretur, & immundum animal Jephtham justo pretio
 redimere voluisse præsupponatur, universalitas illa non abso-
 luta sed determinata foret, salvâ generis Neutrius prærogativâ.
 Si pro Masculino, adeoq; pro Jephthæ proposito non nisi homi-
 nem immolandi, urgeas talem occursum, animo Jephthæ præ-
 ceptum, qui cum applausu & gratulatione conjunctus sit, *ἐν τῇ
 δεξιῇ λαμβάνεις* & vocem **יָנִי** sine evidenti ratione re-
 stringis.

XIII. Exinde satis colligi potest, animum Jephthæ in vo-
 to illo nuncupando, & victoriæ desiderio fuisse prorsus flagran-
 tissimum, & temeritatis studio imprudentissimum, & indiscre-
 tionis

tionis usu stultissimum, & (quod ultimum addo) pietatis etiam exercitio apprimè superstitiosum: prout Autores ferè omnes illa conjungunt. Quò minus vero consonum haberi potest assertum Tirini, qui à Spiritûs S. instinctu illud votum derivat, cui reclamationis totus Historiæ contextus. Effectus impulsûs Spiritûs Sancti proprius, cujus in textu mentio fit, erat Heroica ista fortitudo, donum ministrans, ut loquuntur, non præcisè sanctificans. Cæterùm sanè maximè *κενὸς μόνον* est, an etiam voto huic, tanqv. medio antecedenti victoria subsecuta ascribenda sit, quod si cum Tirino crederemus, fallaciam certè cōmitteremus secundū non causā ut causā; urgemus n. nos exempla in eundem ferè terminum cadentia: nonné David post adulteriū victoriosā manu expugnavit urbem Rabba Ammon? 2. Sam. 12. Etiamné Moyses & Aaron, postquam deliquère, mirificè vicerunt? Num. 20. Ergò his etiam tanquam causis mediantibus ascribemus felicissimos hos eventus? Absurdum id erit. Sed ad alia.

XIV. Cardo litigii verti videtur potissimùm ex verbis *והיה ליהורו והעליתיהו עולה* in unicā particulā *ו* quam alii, qui Jephthigeniam videlicet sacram duntaxat volunt Vestalem factam, exponunt in sensu disjunctivo pro *IN*, ut versio emergat hæc: *aut erit Domini* h. e. mancipabitur Domino singulari quadam ratione, *aut offeram illud holocaustum* h. e. immolabo si ejusmodi nimirum fuerit, quod offerri liceat. Propugnant hanc mentem imprimis Dav. Kimchi. Perkins. Franz. Bernb. Ziegl. ap. Brent. itemq. laudatiss. Philologus Glaß. l. 4. tr. 1. obs. 7. p. m. 687. ubi gemina ex sacris adducit exempla multa Exod. XXI. 15. 17. 2. Sam. XI. 19. Es. VII. 6. &c. At verò interpretationem hanc contextus ipse non admittere videtur, quando & vis *ו* propria copulativa, non disjunctiva est, & exempla, quæ citantur, ab hoc loco prorsus sunt aliena. Ibi n. disjunctio est in exemplis disjunctis, non subordinatis: hinc proinde minus rectè dixeris: *aut Domino consecrabitur, aut in holocaustum offeretur; cum & oblatio in holocaustum sit consecratio; atq; illa se habeat per modum speciei, hæc per modum*

generis; inter quæ subordinata sc. disjunctio fieri ac consistere nequit. *vid. Bald. Danb. l. c.*

XV. Porro phrasin **והעליתיו עולה** iisdem in verbis recte verterunt Ariamontanus, & *ascendere faciam illud ascensionem*, Vatabl. & *offeram in holocaustum*, in germ. B. Luth. *Dasß soll des Herrn seyn/und will es zum Brandopffer Opffern*. Verbum **והעליתיו** in V. T. conjunctum cum suo conjugato **עולה** nunquam pro oblatione donativa usurpatur, quod tamen Heinsius *Exerc. in N. T. ep. ad Ebr. 11. 32.* ita explicare non veretur. Sed an sat nervosè, dubitare licet. Pro eo quidem collegisse videtur exempla talis generis plurima *B. Dn. Glas. Pb. S. 13. tr. 30. can. 32.* tam ex V. quam ex N. Testam. quibus idem evinceretur: nomen **עולה** non per *ὁλοκαύτωμα*, sed per *ἀναφοράν* ἡ προσφορά hic esse vertendum, ut emphasin verbi videl. nomē accuratius sequatur & exprimat. Verum nec ipsi textui, nec proprio etiam significatui convenire videtur Heiniana hæc interpretatio. Ultrò equidem concedimus ipsi Verbum **והעליתיו** absque addito suo Nomine **עולה** pro oblatione donativa reperiri quibusd. in locis *ut 2. Reg. 17. 4. Neb. 10. 38.* sed an conjunctum ita, id nobis monstrabit nusquam; cum & nomē **עולה** solum per se nullibi pro dono, at pro holocausto semper autem pro ascensione l. gradu significanter inveniatur in Vet. Instrumento. *quod testantur Lexica & Concord.* Nec aliter vertunt *Arabs & Syrus* in versionibus, quas *Bibl. Anglicana* exhibent.

XVI. In vers. 35. vim iterum manifestam facit verbis **הכרעתני** Vulg. reddendo ita: *ab ab filia mea, tu decepisti me, & ipsa decepta es.* Ex quæso Lexicis velit interpretes mihi demonstrare verbum **הכריע** vel unq. *decepiendi* significatu gaudere? *Corn. à Lap.* gravissimum quidem ipsi suum adjungit judicium, & sub egregio palliolo defendere allaborat ista *h. m. decepisti me* sc. spem meam de propagandâ per te familiâ: *decepta es*, quia putabas, me latum fore tuo egressu. Sed nos utrumque notamus censoriâ virgulâ. Probatio extat Ariamont. & Vatabl. Versio: *ab filia mea, incurvando incurvare fecisti me, & tu fuisti in turbantibus me. vide Buxt. in suo Lex. atq. alios.* Cernere nunc licet hic Jephthen,

—quan—

—quantum mutatus ab illo

Heroë Jephthâ, quantumvè animo jam turbatus sit, ut filiam suam unicam sibi habet obviam, ignaram voti paterni, sui nesciam periculi, choros ducentem & tripudia! Quàm altum, voti jam imprudentis memor, ingeminat & scissis ex luctu ingenti vestimentis *ᾠγαστειαν* f. affectuum suorum incontinentiam non obscure indigitat! Utinam verò planè à parricidio hoc animum revocasset, non cumlasset tot peccata miser. At dum migrare sententiam noluit, gravissimo se obstrinxit peccato; stultè & impiè vovendo, impium votum servando, vel vanæ persuasioni de necessitate observationis ejusdem indulgendo, quæ ignorantia prorsus invincibilis est; cum mediis illâ se liberandi destitutus non fuerit. Potuisset intra bimestre illud spatium sententiam Sacerdotis exquirere, propositum cum Lege divinâ Deut. 12. 31. præscriptâ cōferre, & illâ anxietatē animi, quâ paternâ *ᾠοργη* altiùs infixerat, & ipse conspectâ filiâ præ se ferebat, amoliri. Postea graviùs peccavit filiâ occidendo; gravissime, eandem Deo suo modo immolando. Et licet calibatu saltem eandem mancipasset, votum tamen illud, non explorato antea filia consensu editum, vitio non caruisset.

XVII. Sequuntur verba in vers. 39. quæ eandem sententiam de immolatâ verè filiâ expressiùs confirmant: *Et fuit à fine duorum mensium & reversa est ad patrem suum & fecit ei votum suum, quod voverat, & ipsa non cognoverat Virum.* B. Luth. addit in marg. *Man will/ Er habe Sie nicht geopffert. Aber der Text stehet da klar. So sihet man auch beydes an den Richtern und Königen/das sie nach grossen Thaten auch grosse Thorheiten begehen müssen/zu verhüten den leidigen Hochmuth.* Discrepant v. hîc iterum versiones circa ea *וְהָיָה לָאִשָּׁה לֹא יָרְעָה אִישׁ* Illi, qui non immolatam asserunt, sed virginitati perpetuæ consecratam, vertere malunt in suo (ut hîc extat) præterito: *Et ipsa non cognovit Virum:* vel per imperf. *& ipsa non cognoscebat Virum:* Sed regerimus nos ex ipso Glass. licet ejusdem sententia particeps sit, ex l. 3. tr. 3. can. 46. Verbum sc. præteritum tam per plusquamperf. quàm per imperf. l. etiam futurum posse reddi, & contextus hîc significationem plusquamperfecti re-

quirit Exempla qui desiderat, evolvat allegatum hunc locum,
& ipsi affatim ex Bibliis dabuntur. Eò itaq; pacto *Non cogno-
cere virum*, ponit actum, non votum virginitatis, aut conse-
tudinem abstinendi à matrimonio.

XVIII. Sed objiciunt isti *ex Vers. anteced.* quod tamen i-
verit ipsa deflere *Virginitatem suam* in montibus: *Resp.* moram
bimestrem petijt puella à Patre deplorandi virginitatem suam,
non tamen exclusivè. Certè si consecrata fuisset perpetua vir-
go, non duorum illorum mensium spatium sibi exorasset ad
plangendam virginitatem suam, quia posthac lugendi tempus
plus satis longum & accommodatius illi superfuisset, neque i-
pte Pater etiam tam miserandum in modum, ceu antè dictum,
cum luctu & gemitu exclamasset. Eximiùs hìc Balduinus:
*Vehementer sanè, inquit, deplorabat illa tum conditionem suam
tam tristem, quod sibi è vivis discedendum videret, antequam pro-
lem susciperet, per quam non tantùm nominis sui memoriam in po-
pulo Dei conservaret, sed & verum Dei cultum propagaret. Conse-
crationem autem illam, quam volunt (ejusdem sunt verba) per-
petuae Virginitatis tunc temporis in populo Dei usitatam fuisse, neq;
ex Scripturâ, neq; ex aliis idoneis Scriptoribus possunt probari un-
quam; Nam sterilitas apud Judeos contumeliosa semper, & pro si-
gno maledictionis habita fuit, quin & ne hodiè quidem Judæis hu-
jusmodi Virginitatis votum notū est. Exèplo cælibatûs faminis
indicti sub custodiâ ex 2. Sam. 20. v. 3. à Grotio adducto nihil
movemur. Vocantur enim illæ mulieres expressè concubinæ
& viduæ, quæ perpetuæ custodiæ à Davide traditæ. Dissimile
etiam exemplum est consecrationis Samuelis 1. Sam. 1. v. 28. de-
scriptæ, quæ nihil favet voto perpetuæ Virginitatis, quo Sa-
muel non fuit constrictus. In numero mulierum, quæ convenis-
se dicuntur ad ostium tabernaculi 1. Sam. 2. v. 22 Exod. 38. v. 8. die
da dieneten vor der Thüre der Hütten des Stiffts/ [ut B. Luthe-
rus vertit] Virgines fuisse cælibatui devotas, quibus associata
sit Jephthæ filia, nullo documento probari poterit.*

XIX. Ut verò ad finem properemus, nec reliqua intacta mit-
tamus, obveniunt nobis verba non parum controversa hæc:
וְהָיָה חֻק בְּיִשְׂרָאֵל *Et fuit statutum in Israël.* Illi, qui
sen:

sententiam eam contrariam fovent, cum quibusve nobis maxime res est, referunt ad vers. 39. & extorquent hunc inde sensum: *ex hoc tempore invaluit mos in Israël, ut aliorum quoque filia Deo hoc exemplo consecrarentur* Sed sumus nos jam certiores ex thesi superiori, Vota ista monastica perpetuae Virginitatis populo Dei tam fuisse ignota, quam nobis vota domestica perpetuae jejunitatis; nec ullatenus etiam Deo illa grata esse & accepta potuere, quippe quae non à spontaneo voluntatis motu, & sancto virginum ipsarum proposito profecta; sed à Parentibus, quibuscunque commotis affectibus, seu aliis ex causis, vel mente reluctantibus erunt expressa. Alii verò, ii que melius edocti referunt ad vers. 40. ad plenissimum sc. contextus sensum, totiusque historiae clausulam, quibus cum & nos in praesens facimus, prout verba minus ita inconcinna evincunt: *Et mos inolevit inde, ut Virgines Israël quotannis convenirent, ad lamentandum s. potius ad celebrandum filiam Jephthae per dies quatuor.* Arabs & Syrus in vers. Bibl. Angl. insertis consuetudinis istius consequens magis respiciunt, quam proprium vocis פתח significatum. Ita enim ille: *Et factum est prodigium inter filios Israël. Hic verò: facta est insignis inter Israelitas.* quarum versionum fides aliàs non adeò probata.

XX. Ex his demum exsculpunt Paraphrastraë isti accuratissimi hoc vocabulum פתח, in ejus versione atque expositione torquent semirum in modum R. Kimchi reddit *ad confabulandum*, ut sc. amicis colloquiis eam de virginitate & statu vitae solitario consolarentur. Chaldaeus & R. Salomon *ad lamentandum*, hp. super virginitate ejus, ut Kimchi eos explicat. *Vid. praeter citatos Buxton Lex.* Sed friget illa hujus & istius significationis applicatio, quam supra satis jam refutatam arbitramur. Aliàs si verbum פתח, reddatur *ad confabulandum*, tum praefixi פ. non significat cum, sed de filia Jephthae: *Sin ad lugendum*, assumatur quod Danh. annotat, *in gratiam ac honorem filiae Jephthae.* Sie sind an einem gewissen Ort zusammen kommen/ und haben des Jephthae Tochter Todt beklaget mit besondern Trauerliedern / inquit Bald. in Concisus german. in h.l. Quin ergo? sive confabulari, sive lugere, sive laudare, ut alii volunt, interpretaris, causa nostrae parum officit. Quae de derivatione vocis hujus prolixius invicem disputant Philologi, nostrae disputationis incudi jam brevitatis studio non subjicimus. *Conf. pro Cappell. Danh. ll. cc. cum primis Sixt. Amama l. 3. Antibarb. Bibl. p. 613. Lud. de Dieu in animadversionibus in h.l. Meyerus Phil. Sp. 313.* Nos illis subscribimus, qui à rad. פתח derivant, quae & *Jud. V. 11. occurrit.*

XXI. La



XXI. Latior hinc nobis discurrendi campus apertus esset circa specialia quaedam historiae hujus: utpote quid sentiendum sit primò: an Jephtha *vel consuetudine gentilium*, qui liberos suos interdum ita Diis immolabant, *ut ex Justin. Flor. Curt. constat, seductus, vel exemplo Abrahami* immolare volentis filium *persuasus* id fecerit? Deinde an historia (quam Graeci narrant) de Iphigeniâ à Patre Agamemnone sacrificatâ conformitatem quandam habeat cum hac nostrâ? Post de recensioe Rabbiorum, quod Jephtha cum Sacerdote Phinea contenderit ad eò de dignitatis prærogativâ, nec alter alterum prius accedere voluerit, ut votum dissolveretur, sed filiam intereâ perisse, & Patrem divinitus punitum esse paralyti, Sacerdotem v. discessu Sp. Sancti, quod R. D. Kimchi & R. Lipman tradunt. Et denique quid statuendum fuerit de ratione Typicâ, an n. p. Messiae sacrificiû eò adumbratum sit? Verum has ambages nec temporis nec instituti nostri ratio admittit, nec paginarum angustia capit, proinde vela contrahimus, & illa placido discursui reservamus: hoc v. Dn. Theologis haud inviti relinquimus. Sufficiant, quæ in præsentî liberioris exercitii & incitandæ diligentiae gratiâ à me pertracta fuerint, in quibus si quæ occurrant minus accurata, succurret illud Poëta:

——— in magnis & voluisse sat est.


Id certè dedimus operam, ut veritatem ipsi textui consentaneam, in spicilegio quodam difficultatum circa hanc materiam proximè ⁱⁿ deducendam, ubiq; sequeremur, salvâ secus sententiarum autoritate. Tantû!

T. ☉. Δ.



Præstantissimo DN. RESPONDENTI pereruditè de Jephthæ Voto
differenci, S. P.


DE JEPHTHÆ VOTO jam patria chara loquentem
Cerne TULLUM, ut solvat Vota recepta tibi.
Namque tuum nomen spatioso cantat in orbe;
Dum repetit Scriptis; Patria TORGA, suis.
Det Deus atatem! Det sani corporis usum!
Cætera, cum Vegeta, Patria, sorte dabis.

Johannes Meisnerus D.


Gordius est nodus ratio Jephthæ votendi,
Quem MESSERSCHMIDI pugio ritè secat.
Gratulor hunc ictum: collaudat patria. Vires
Corporis ingenio sint, precor, usque pares.
Testanda amicitia
erga Pra-Eximium disput. Autorem

f.
M. Heinricus Baumann/
Fac. Phil. Adj.









Umg VI 16

ULB Halle 3
002 061 678



sb

Z





36 40.

EXERCITATIO PHILOLOGICA
DE
VOTO JEPHTÆO,

ex Jud. XI. v. 30. seqq.

Quam
Divini Numinis auspiciis
SUB PRÆSIDIO

Viri Praclarissimi

DN. M. HEINRICI Baumann/

Fac. Philos. Adjuncti meritissimi,
Domini, Fautoris ac Præceptoris sui ætatem
devenerandi,

*Publicæ placidæq. Eruditorum
ventilationi subjicit*

WITTEBERGÆ

In Acroaterio majori

ad diem XIV. Junii

Horis antemeridianis.

CHRISTIANUS MESSERSCHMIDIUS

Torgensis, Autor.



EX OFFICINA JOHANNIS HAKEN,
ANNO O. R. M. DC. LXV.

